





1733, 23 26
DISSERTATIO INAVGVRALIS JVRIDICA,

DE

P. 285.
SVBSTITVTIO-
NIBVS,

QVAM,

EX DECRETO ET AVTORITATE
MAGNIFICI JCTORVM ORDINIS
IN ALMA AC PER-ANTIQA ELECTORALI VNIVERSITATE
ERFORDIENSI,

PRO LICENTIA

SVMMOS IN VTROQVE JVRE HONORES,
PRIVILEGIA DOCTORALIA RITE AC LEGITIME
CONSEQVENDI,

PVBLCO ERVDITORVM EXAMINI

IN AVDITORIO JCTORVM MAJORI

DIE XXVIII. SEPTEMBR. M DCC XXXIII.

HORIS CONSVETIS,

SVBMITTET

AVTOR

JOHANNES IGNATIVS TVRIN,
Erfurtenfis.

ERFFVRTI, Typis HERINGII, Acad. Typogr.



DISSERTATIO IN ALCHEMIA IURIDICA

DE

SVBSTITVTIO
NIRVAZ

CVLTI

EX DECRETO FACULTATIS

ALMA MATERIAE IURIDICAE

UNIVERSITATIS HALLENSENSIS

PRO TERTIA

SVMMO IN THEOLOGIA

THEOLOGIAE DOCTRINAE

CONFERENTIA

PROBATIONE

DR. G. H. H. H.

HALLE

CVLTI

ALMA MATERIAE IURIDICAE



DISSERTATIONIS INAUGVRALIS
DE
SVBSTITVTIONIBVS
CAP. I.

De Substitutione in genere.

§. I.



Ntequam ad materiam substitutionis propius accedam, nonnihil de verbo atque etymologia nominis tractare necessum erit. Verbum substitutionis homonymum est, quod modo generaliter accipitur, modo ad speciem restringitur: in generali significato venit substitutio, quæ in legatis & fideicommissis fit, *L. 50. ff. d. leg. & fideic. 2.* Quæ fit iudicibus, *L. 20. ff. iud. sol.* Quæ fit procuratoribus & tutoribus, *L. 39. §. 11. ff. d. adm. & peric. tut.* Imo ad substitutionis verbum generaliter acceptum omnia accomodantur, quorum loco quid surrogatur vel sublocatur, ut in *L. 22. ff. d. leg. 1. L. 18. & 68. ff. d. usufr.* sumitur. Verùm mihi non de iis, quæ minus propriè & per quandam analogiam substitutiones dicuntur, sed de ea præcipuè propositum est, tractare,

quæ ad speciem restringitur, quæque pro substitutione hæredis tantum seu eâ surrogatione sumitur, quæ in ultimâ voluntate fieri consuevit, utpote cum testator in testamento aliquem hæredi instituto substituit. Ejus etymon ab institutione venire exinde patescit, quod sit hæredis quædam subordinata institutio, quasi sub-institutio, compositum à sub- & institutione. VIGLIVS *in rubr. J. de vulg. substit. n. 4.*

§. II.

Substitutio multifariam definiri solet: & Glossa quidem *in rubr. ff. J. b. tit.* ita describit: quod sit secunda hæredis institutio. Cæterum cum hæc definitio naturam substitutionis non satis clarè explicet, & præcipue ex eo periclitetur, quod nedum secundo, sed etiam tertio *L. 1. d. vulg.* imo & ulteriori gradu *L. 36. eod.* substitui queat, verior mihi videtur definitio Duareni in explicatione ejusdem tituli, quod sit institutio hæredis secundo vel ulteriori gradu facta.

§. III.

Substitutionem dextrè institutionem dici posse colligimus *ex L. 20. §. ult. d. condit. instir.* ubi si Titium instituo hæredem adjectâ hac conditione, si me instituerit, Titius alium instituat, eique me substituat, conditio extitisse videtur, quod dici nequaquam posset, si substitutio institutionis nomine propriè non veniret, cum in conditionibus maxime verborum proprietates servetur. *L. 43. J. L. 53. ff. de condit. J. demonstr.* Unde ait CAJVS *Instit. L. 2.* substitutionem tantum ordine ab institutione, quæ est appellatio primi hæredis, differre.

§. IV.

Dividitur autem substitutio in directam, quæ fit verbis directis & plerumque civilibus, quâ testator hæreditatem suam directè à se, & non ab hærede prius instituto, ad substitutum transfere vult. *L. 23. ff. de acquir. poss.* & in obliquam, quam fideicommissariam vocant, sic dicta, quia viâ obliquâ per interpositam personam hæreditas defuncti ad aliquem devolvitur, quando scilicet testator hæredem à se institutum rogavit, ut hæreditatem alteri restituat vel vivus, vel post mortem suam. *§. 2. J. de fideicom. hered.* hæc propriè substitutio

tutio non videtur, cum omnis verè ac propriè dicta substitutio sit hæredis institutio. *L. 43. §. 2. de vulg. L. 26. §. fin. ff. de condit. instit.* At fideicommissarius propriè hæres non est §. 3. *J. de fideicom. hered. l. 44. §. pen. §. l. 68. ff. ad SC. Trebell.* dico propriè, nam fideicommissum substitutionis nomine in *L. 46. de vulg. l. 62. §. 86. ff. SC. Treb.* vel minus propriè, vel saltem in latiori significatione venire constat.

§. VI.

Præcipua itaque substitutionis divisio ex formularum varietate desumitur, unde alia Vulgaris, alia Pupillaris, alia Exemplaris, alia Militaris, alia Reciproca, quæ ultima etiam Brevisloqua appellatur & Compendiosa. Schotanus asserit: aliam vulgarem, pupillarem aliam: plures tamen esse modos, qui omnes ad vulgarem & pupillarem reddi possunt; cum omnis substitutio in duplicem hunc casum concipiatur, quo vel non est hæres, vel est quidem hæres, qui tamen antequam in suam tutelam venerit, fatis absumatur. Sic exemplaris seu quasi pupillaris sub pupillari comprehenditur, quemadmodum actio quasi Serviana sub Serviana *L. 28. de pig. act.* quasi possessio sub possessione *L. 1. pr. ff. de lib. caus.*

CAP. II.

De substitutione vulgari.

§. I.

Prælibatâ & expositâ substitutione in genere, ordinis efflagitat ratio, ut videamus de primâ substitutione in specie sive vulgari, quæ non inconcinnè definitur, quod sit hæredis in gradum primi vel secundi non aduentis institutio à quolibet testatore cuilibet facta: Vulgaris inde dicta, quod vulgo passimque usitata sit. *PEREZ. in Cod. d. impub. §. al. substit. n. 1. DVAREN. in tit. de vulg. §. pup. subs.* hæc substitutio duplicem distinctionem recipit; alia quod sit expressa, quæ fit verbis expressis seu generalibus: veluti Ti-

tium hæredem instituo, & eidem Sempronium substituo. Seu quæ sit verbis specialibus. v. g. si hæres non erit. Seu etiam singularibus: v. g. si institutus hæres esse noluerit, vel non potuerit, sit substitutus Cajus. Alia tacita quæ sub expressa pupillari continetur, qui enim filio suo instituto substituit quempiam in casum, quo hæres erit, & intra pubertatem decesserit, censetur eundem etiam substituisse sibi, si filius hæres non erit *L. 4. ff. b. r. ALCIAT. L. 1. n. 16. ad b. tit. VINN. in pr. tit. d. pup. substit.* & licet nonnulli *d. l. 4.* in vulgari tantum procedere autument, quod scilicet vulgaris ad pupillarem trahatur, non vero econtra, necessario tamen cum textus indistinctè dicat in alterum casum, neque unum magis, quam alterum exprimat existimari debet, traditam esse regulam generalem, quod substitutio tacita in alterutro ex illis casibus facta in utroque facta esse censetur. Vid. *MYNSING. b. r. n. 5. § 6.* Unde

§. II.

Quæri hic solet: an substitutus in casum impotentia, censetur etiam substitutus in casum noluntatis, vel econtra? Quæstio hæc locum habet, si verbis singularibus substitutio facta v. g. Titius hæres esto: si vero esse noluerit, sit substitutus Cajus; quæritur si Titius lubens esset hæres, sed esse non possit, admittendusne Cajus? Resp. probabile esse quod sic: ex præsumpta testatoris voluntate, qui substituendo in casum unum præsumitur etiam tacitè substituisse in alterum, ne moriatur intestatus; hæc enim præsumptio est in dubio faciendi, nisi aliunde pateat apertè, quod duntaxat in casum istum expressum substituere voluerit, secundò probatur *arg. L. 3. C. d. instit. & subst.* Ubi vocati hæredes filii in casum emancipationis, censentur etiam vocati in casum mortis paternæ; ergo & substituti in casum noluntatis, censentur etiam substituti in casum impotentia, & contra. Pro hæc sententia etiam facit *L. fin. C. de posthum. hæred. instit.* Ubi provisio in casum mortis trahitur ad casum, si posthumus vivo testatore editus sit. Et ita tenent *BART. in L. 1. n. 14. ff. de vulg. & pup. substit.* *ARVM. ad Instit. Disp. 8. tb. 5.*

§. III.

§. III.

Quemadmodum autem testator non unum tantum, sed plures hæredes simul instituire, ita & plures hæredum gradus in substitutione facere potest, veluti in hac vel simili forma: Sempronius mihi hæres esto, etsi hæres non erit, Cajus hæres esto, si Cajus hæres non erit, Titius hæres esto *L. 36. ff. b. tit.* Denique & ultimo in subsidium, si priores hæredes instituti & substituti vel noluerint, vel non potuerint, licebat servum substituere, qui nolens volens cogebatur adire hæreditatem. *§. 1. §. de vulg.* Ne forte testator intestatus decedat nemine hæredum suspectam ejus hæreditatem adire nolente. vid. *MART. in L. si qui hæres § fin. n. 9 ff. de acquir hæred.*

§. IV.

Substitutus verò in primo gradu, si moriatur ante substitutum in sequenti gradu, nihil per hoc vitiatur jus secundi, cum substitutus substituto censeatur substitutus instituto, & qui ultimo loco substitutus est, etiam primo substitutus esse intelligitur *§. pen. §. d. vulg.* sicuti hæredis hæres, testatoris hæres est, *L. ult. C. de hæred. instir. L. 170. ff. de reg. Jur.* Usque adeo, ut primo substituto ante institutum mortuo, etiam spes substitutionis transmittatur ad substitutum substituti. *vg.* Sempronius institutus est hæres, eique substitutus Cajus, Cajo substitutus est Titius: hic Titius quoniam est substitutus Cajo, Sempronio quoque hæredi substitutus intelligitur, etsi Cajus hæredi substitutus ante decedat quam adeat, spes substitutionis transit ad Titium, quamvis Cajus ante hæredem mortuus sit. modo de unius hæreditate agatur, ne obstet *L. 47. ff. de Vulg.* in qua casus: habeo filium & filiam, & in testamento dico, filius hæres, filia exhæres esto: filio autem intra pubertatem mortuo substituo filiam: filia verò si antequam nuberet, id est, nubilis esset, decesserit, substituo uxorem; si filius fuerit mortuus ante filiam, non est dubium, bona mea pervenire ad filiam, & casu eveniente ad uxorem, quaritur autem si filia prius moriatur quam filius, an uxor filio impuberi mortuo succedat? & videbatur quod sic: vi tradita jam regulæ, respondetur tamen negativè, quia hic agitur de hæredi-

reditatibus diversis, nimirum de hereditate filia, in quam est substituta uxor, & de hereditate mea, in qua est substituta filia. HVNN. ad Treut. Vol. 2. D. 11. 26. 7. quest. 39.

§. V.

Effectus hujus substitutionis sunt principaliter quatuor: primus quod substitutus admittatur ad hereditatem, si institutus haeres non erit, quod vel ex impotentia vel noluntate haeredis, vel deficiente conditione accidit §. 2. *J. quib. mod. test. infirm. L. quamvis Cod. de impub. & al. subst.* Secundus effectus est, quod testamentum assumat vires à substituto. *L. 3. §. fin. ff. de lib. & posth.* Quotiescunque nempe defectus existit à parte instituti, ut si v. g. instituat, qui tempore facti testamenti in rebus humanis non fuit, puta jam mortuus. *L. un. §. 5. C. de Cad. toll. L. 2. c. de hered. instit.* secus est si primus gradus sit nullus propter qualitatem testatoris, ut si testari nequeat. *L. 5. & 6. ff. qui test. fac. poss.* vel si anterior gradus rumpatur agnatione posthumi praeteriti, tunc si quidem sequentes gradus rumpantur. *L. 5. ff. de injust. rupt.* vel si emancipatus esset in primo praeteritus, & in secundo injuste exheredatus *L. 8. §. 5. ff. de bon. poss. contr. tab.* vel si substitutio ipsa foret inutilis *L. 19. ff. de injust. rupt.* Tercio substitutio vulgaris illum operatur effectum, quod per eam succedat testatori, ejusque tantum bona à substituto capiantur, non vero ejus cui facta fuerit. *pr. J. de pupill.* Non tamen succedit substitutus in praelegata haeredi relicta, quae institutus ad suum legitimum transfert haerem. *L. 75. §. 1. ff. de leg. 2. FVSAR. Quest. 22. ad hunc tit.* Quartus effectus assignatur, quod tollat jus fuitatis quia ex suo & necessario voluntarius fit. *FACHIN. lib. 4. Cap. 71.* item Jus sanguinis & fisci, excludendo nimirum venientes ab intestato, cohæredem, & venientem jure accrescendi. *L. 39. de acquir. vel amit. hered.*

§. VI.

Evanesceit autem substitutio morte substituti praeveniens institutum, item aditione, aut immixtione instituti. *L. 5. C. de impub. & aliis subst.* Adita enim hereditate, deficit conditio & potestas petendi ex conditione, & consequenter ipsa sub-

substitutio, sive jam jure civili, sive jure prætorio hæres hæreditatem adquisierit. *L. 12. C. de jur. delib.* quod & verum est, etsi fuerint plures hæredes instituti eisque datus sit substitutus, quia nihilominus uno ex hæredibus adeunte expirabit substitutio. *L. quidam testamento ff. de vulg. & pup. substit.* Intellige tamen hoc procedere, quotiescunque substitutio fuisset facta omnibus copulativè vel conjunctim, puta si testator Titium & Mevium instituerit, etsi Titius & Mevius hæredes non erint, substituatur Cajum; tunc enim ex omnibus uno adeunte expiraret substitutio *BART. in L. 1. n. 48. d. tit.* Secus erit si substitutio facta fuisset pluribus separatim, puta si testator usus fuerit verbis distributivis, videlicet, etsi quis eorum hæres non erit, substituatur Cajum, tunc enim aditione unius non expiraret substitutio quo ad omnes. *ANTON. GOMEZ var. resol. Tom. 1. cap. 3. n. 35.* idem est: si testator verbis alternativis usus fuerit, videlicet, etsi aut Titius aut Sejus heredes non erunt, Cajum substituatur. *ALEX. TRENTACINQ. in tract. substit. p. 1. cap. 17. n. 37.* An autem existentia sui hæredis faciat evanescere tabulas vulgares quaeritur? sensus si quis suum reliquit hæredem, qui se non vult hæreditati immiscere, an sit locus substituto vulgariter? videri posset quod non: ex argumento *DONELL. L. 6. Comment. c. 24.* quod suus hæres ipso jure sit hæres, ut non possit dici pater intestatus *L. 30. in fin. C. de fideicom.* Verum inde sequetur impuberi frustrà substitui vulgariter, cum continuo moruo patre sit hæres. Ut potius dicendum sit non alias evanescere vulgarem substitutionem, quam si sui se immisceant, quæ opinio probatur *per L. 2. §. 6. de Vulg.* Ubi si filius institutus hæres non extiterit, dicitur admitti substitutus in casum, quo filius hæres non erit, quod non esset, si suitas extingueret substitutionem. Vid. *ANT. FAB. D. 32.*

§. VII.

Quæri etiam solet hic de eo, num restitutione in integrum contra aditionem impetratâ reconvalescat substitutio? circa hanc quaestionem haud levis est interpretum contentio. Pro negativâ militat quod aditione hæreditatis substitutiones ex-

B

spirant,

spirent, nec amplius substituto locus esse possit. *L. 5. C. de impub. & aliis substit.* Confirmat haec sententiam textus in *L. 7. §. 10. ff. de min.* quo in loco proponitur minor institutus, eique servus substitutus, & dicitur, si minor institutus hereditatem adierit, & mox per restitutionem in integrum se abstinuerit, substitutum nec libertatem, nec hereditatem esse consecuturum: praeterquam eo casu, quo hereditas non est solvendo. Et ita quoque statuunt *DVAREN. de substit. c. 10. ANTON. GOVEAN. 2. var. 13.* Veruntamen contraria sententia mihi verior & melior videtur, quod ad excludendum substitutum vulgarem requiratur, hereditatem cum effectu esse aditam, at restitutio faciat in pristinum statum videri restitutam hereditatis causam, ita ut effectu non videatur adita, *L. 24. §. 4. ff. de Minor.* & per consequens, cum perinde sit, ac si haeres non adiiisset, adhuc durare, vel saltem facile reconvalescere existimetur. Quod apertius videtur comprobare *L. 44. ff. de re jud.* Ubi expressè scribitur in casu nostro hereditatem ad substitutum perventuram. Adferuntur quoque pro hac parte *L. 1. §. 10. ff. ad SC. Tertull. L. 6. §. 2. ff. de bon. libert.* Et ita tenent *Salycetus, Cynus & alii Dd. in L. 5. C. de impub. & al. substit.* *ANT. FABER. 3. coniect. c. 4. FACHIN. 4. contr. c. 73. DONELL. & HILLIGER L. 6. cap. 24. Cit. m.*

CAP. III.

De substitutione pupillari.

§. I.

Definitâ primâ substitutionis specie, altera nimirum pupillaris, inde sic denominata, quod nonnisi pupillis & impuberibus fiat. *L. 3. ff. de substit. vulg. & pupill. L. 239. ff. de V. S. describenda* prostat, quæ est substitutio directâ, à patre testamento sibi prius condito, liberis suis impuberibus in potestate existentibus, jure non reprobatis, in casum, quo hæredes fuerint & intra pubertatem decesserint facta.

facta. Dicta pupillaris, quia fit pupillo, non respiciendo tempus quo: sed pro quo fit: vel quia etiam filius familias qui adhuc impuberis est ætatis, pupillus dicitur. *L. fin. §. pupillus ff. de V. O. L. 7. §. pupillum ff. de pecul.* Quomodo & quâ causâ invaserit, haud obscure insinuat *L. 2. ff. de vulg.* Cum quippe pupillus propter defectum ætatis sibi ipsi testamentum facere non potuerit, ac proinde sæpius accidere solebat, ut ex causâ successione, quod apud Romanos vel maximè ignominiosum erat, post mortem patris periclitaretur, moribus eò res revocata est, ut parentes liberis suis substituere queant: cum parentibus nihil antiquius sit, quam ut proli- bus consulant. *L. fin. ff. de Curat. furios.* Unde arguitur substitutionem hanc non modò formâ, verum & origine juris civilis esse; per mores siquidem *in d. L. 2.* intelliguntur mores populi Romani. *arg. L. 8. de his qui sui vel alien. jur. §. §. 2. de J. N. G. & C.* Et ut inquit Cujac. *ad tit. ff. de Vulg.* Quemadmodum Jus patriæ potestatis, licet moribus receptum dicatur *L. 8. de his qui sui vel al. jur.* Tamen legibus 12. Tabb. adferbitur rectè; ita quoque substitutio pupillaris, quæ jure potestatis fit. Vid. PEREZ. *ad C. d. impub. & al. substit. n. 9.*

§. II.

Distinguitur quemadmodum vulgaris in expressam & tacitam: expressa est, quando forma substantialis in testamento patris exprimitur veluti: Titius filius meus hæres mihi esto, & si fuerit & in pupillari ætate decesserit, Cajus hæres esto. Tacita verò pupillaris est, quæ legis interpretatione, & præsumptâ mente testatoris facta intelligitur sub vulgari expressa, si hæres non erit. *L. 4. ff. de vulg.* Qui enim filio non adeunti substituit, videtur etiam in casum mortis in impubertate contingentis eidem eundem substituisse. *L. 4. C. b. l.*

§. III.

Pronuntiatione liberorum in dictâ definitione non solum continentur illi, qui justo matrimonio quæsi jam dum sunt, sed & posthumi. *§. 4. J. de pupill.* Qui, cum de eorum commodo agitur, pro natis habentur. *L. 7. ff. de stat. bom.* Ac

proinde appellatione filiorum veniunt. §. *fin. 7. qui test. rur. dari poss.* Arrogati, *L. 10. §. 6. de vulg.* quamvis hoc duntaxat procedat in illis bonis, quæ à patre arrogatore profecta sunt, propter cautionem datam de reddendis bonis arrogati proximioribus, si is in pupillari ætate decederet. *L. 18. §. 20. ff. de adopt.* quin & appellatione liberorum non tantum intelligimus filios primi gradus, verum nepotes, pronepotes, si filiis præmortuis in potestate avi sint. *L. 2. de vulg. L. 220. ff. de V. S.* Oportet quoque liberos esse in potestate substituētis. §. 1. *§. fin. de pup.* Hinc infertur patrem substitutionem pupillarem filio emancipato non posse facere: eò quod pater amiserit potestatem, non obstante, quod novissimo jure differentia emancipationis & suorum sublata sit. *per. Nov. 118. Cap. 7.* Nam differentia hæc extincta non est, nisi quoad successiōnem liberorum ab intestato. Hinc & sequitur secundò, nec matrem vel avum maternum, cum liberos in potestate non habeant §. 10. *§. de adopt.* liberis suis impuberibus pupillariter substituere posse, valebit tamen substitutio à matre facta in vim fideicommissi, si adjecta sit clausula codicillaris. *L. 29. §. 1. ff. qui test. fac. poss. L. ult. §. 1. C. de Codicill. CARP. ZOY. p. 3. C. 8. d. 17. n. 4. RICHT. D. 44. p. 1.*

§. IV.

Sane qui substituere vult pupillariter, debet prius sibi testamentum facere, nec soli filio poterit. *L. 2. §. 4. de vulg.* Testamentum enim patris & filii unum dicuntur. *L. 20. de vulg.* Nam licet ratione effectus quodammodo duo testamenta, alterum patris, alterum filii videantur, unum tamen est duarum causarum duarum scilicet hæreditatum. §. 2. *§. de pupill.* Sed hic admodum dubitatur utrum pater prius sibi hæredem, & postea filio facere? an verò invertere ordinem ut prius filio, postea sibi facere possit? & an de substantia sit non invertere scripturæ ordinem? dubio huic ansam dat §. 4. *§. 5. d. L. 2.* quorum verba sibi ediamento contraria videntur, in §. 4. hæc habentur: prius autem quis sibi debet hæredem scribere, deinde filio substituere & non convertere ordinem scripturæ. *In §. autem §. planè aliud scribitur his verbis: sed si ita*

si ita quis fuerit testatus: si filius meus intra quartum decimum annum decesserit, Sejus hæres esto, & deinde, filius hæres esto, valet substitutio licet conversâ scripturâ filii testamentum fecerit. Pro conciliatione horum §. §. plures adferuntur ab Authoribus interpretationes, inter quas verior videtur illa, quod §. quartus intelligendus sit, si testamentum patris & filii fiant ex intervallo & separatim, quod utique fieri potest. *L. 16. §. fin. de vulg.* Ita ut tunc expediat, patrem in suo testamento prius instituere hæredem postea filio, non autem ordine converso. d. verò §. 5. intelligendus sit, si in continenti unoque contextu sibi & filio pater testatur. *VINNIVS ad §. 5. Instit. b. tit. DECIAN conf. 4. §. n. 3. lib. 2. REBFFF. in tract. de privil. Scholar. 67.*

§. V.

Denique inter condiciones necessarias substitutionis pupillaris numeratur, quod filii aut sint instituendi aut exhæredandi. *L. 1. §. 1. & L. 10. §. 5. de vulg.* Quia aliàs præteritis iis, testamentum est nullum per *Nov. 115.* posse autem etiam exhæredatis substitui, probatur per textum clarum *§. 4. J. de pup. subst. & L. 1. §. 2. b. r.* sic possum dicere: Titius filius meus exhæres, Cajus autem hæres meus esto, quod si tamen filius meus exhæredatus intra pubertatem decesserit, Cajus ei hæres sit. Ratio conclusionis est, quia pupillaris substitutio non ab institutione, sed à patriâ potestate dependet, sub qua est etiam exhæredatus; neque hoc casu pater quo ad sua, sed impuberis bona substituit. *L. 10. §. 5. b. r.* dixi: Cajus hæres meus; quia filio exhæredato necessarium est, ut alius instituatur, cum institutio sit basis & fundamentum testamenti *§. 34. J. de leg. RAYNVNTIVS part. 2. in materia pupillari n. 62. X. de testam. JASON. in L. 2. nu. 26. ff. de vulg. & pup. subst.* quamvis alii demum admittant posse filio exhæredato pupillariter substitui, si bonâ mente fuisset exhæredatus juxta *L. multi ff. de lib. & postb. & L. Paulus in pr. ff. de bon. liberr.* secus si malâ mente, quos refert & reprobat *LANCELO. POLIT. in tract. subst. n. 46. in fin.*

§. VI.

Fit autem hæc substitutio pupillaris dupliciter, vel nominatim, vel generaliter. Nominatim, si quis nominatenus & in specie institutus. v. g. Titius filius meus hæres esto, & si hæres erit, & impubes decesserit, Cajus hæres esto. Generaliter verò, si quis verbis generalibus substitutus sit, v. g. quisquis mihi erit hæres, etiam filio meo in impubertate decessenti hæres esto. *L. 3. L. 8. §. 10. de subst. L. fin. C. cod.* quo casu requiritur primò, ut hæres patri scriptus sit; secundò etiam hæres actu extiterit, licet hæres esse desierit, die pupillaris substitutionis cedente. *L. 31. ff. d. tit.* quia verba: quisquis mihi hæres erit, continent conditionem, si erit, ut habet *L. 8. d. r.* quam semel impletam esse sufficit. *L. 10. pr. ff. de fideicom. libert.* quod si autem plures à patre scripti sint hæredes & extiterint, generaliterque sit facta substitutio, tum eandem in substitutione habebunt partes, quas habuerunt in institutione ex vulgatâ regulâ, quod partes datæ in institutione, repetitæ censeantur in substitutione, unde si in institutione successerunt æqualiter, æquales quoque habebunt partes in substitutione.

§. VII.

Quotquot liberos testator in potestate habet, tot substitutiones pupillares facere potest in hæc vel simili forma: primus filius hæres esto: si hæres non erit vel intra pubertatem decesserit, Titius hæres esto. Secundus filius hæres esto: si non erit &c. Sempronius hæres esto, & sic consequenter. Qua in formula animadvertendum, quod si primus fato concedat in pupillari ætate, ei succedat Titius: si & secundus, succedat Sempronius, adeò ut substitutus fratrem omninò excludat. Quod si tamen novissimo impuberi substituerit pater, veluti: primus, secundus, tertius filii mei impuberes hæredes mihi sunt, & ei qui novissimus intra pubertatem decesserit, Titius hæres esto. Jus succedendi ab intestato integrum testator custodire, & conservare voluit; hinc in confesum venit, quod primo morienti succedat alii fratres, excluso substituto *§. 6. J. de pup. L. 37. de Vulg.*

§. VIII.

S. VIII.

Effectus autem hujus substitutionis pupillaris sunt varii. Primus est quod filio antequam ad pubertatis annos pervenerit, decedente, substitutus in omnibus ejus bonis, quocunque etiam eventu habeat, succedat. *L. 10. §. 5. § 6. de vulg.* Adeoque substitutus omnes ab intestato venientes excludit: quamdiu enim speratur hæreditas ex testamento, tamdiu successioni legitimæ non datur locus. *L. 3. § 69. ff. de acquir. hered.* quin & matrem à successione legitimâ omnino excludit. *L. 8. §. 5. ff. de inoff. test.* quod tamen si posset videri primâ facie iniquum per *L. 15. de inoff. test.* Cum filius testari videatur per patrem, est tamen expressè ita decisum in *d. L. 2.* Et probatum in *C. 1. de test. in 6.* Nec facit quod testamentum hoc videatur esse testamentum filii; nam hoc tantum in quantum de ejus agitur hæreditate, non etiam quasi ipse sit testatus. *COVARR. ad c. 10. n. 21. X. de test. GOMEZ 1. var. resol. c. 4. n. 7. VASQ. de success. p. 2. §. 15. n. 41.* An autem eadem vis sit pupillari tacita, controversum inter Interpretes, multi affirmant ex eo quod passim in unum casu substitutio facta, in alterum facta censeatur, ex constitutione *D. MARCI in L. 4. d. vulg. § pup. subst.* quæ generaliter loquitur, non excipiens matrem. Ita *GOVEANVS de substit. in pr. n. 1.* quæ sententia probabilis est subnixa *L. 8. Cod. de impub. substit.* Ubi videtur speciale esse in militibus, ut substitutio non trahatur ad aliam, *D. VIGLIVS J. de pup. subst. in pr. n. 16. DONELL. ad d. L. 8. n. 5.* Contraria tamen opinio scilicet matrem non excludi, est humanior, quam amplectitur Glossa communiter recepta in *L. cum quidam fin. Cod. de Instit. § substit.* Secundus effectus in eo consistit, quod pupillaris expressa contineat tacitam vulgarem. *BART. in L. 2. n. 29. ff. de vulg. § pup. substit. MENOCH. de presumpt. p. 2. l. 4. pref. 43. n. 1. § 4. ZAS. in ir. subst. in mat. pupill. n. 13.* id quod ampliatur, etiamsi expressa pupillaris restricta sit ad brevius tempus, quam ætatis pupillaris, ut si testator dixisset, & si filius meus decesserit intra decimum annum ei substituo Cajum, quia tunc etiam hoc casu, pupillaris expressa contineret vulgarem tacitam. *MENOCH. d. loco n. 5.*

Deni-

Denique tertius effectus est, quod per eam succedatur pupillo. *J. d. pup. subst. in pr.* quasi ab ipso institutus esset, succeditur autem pupillo, non tantum quoad bona, quæ pupilli sunt ipsi quæsitæ, ante vel post testamentum aliunde quam à patre, sed quæ patris fuerunt, cujus hæreditas per aditionem facta est una cum hæreditate impuberis, ut separari nequeat citra violationem regulæ Juris civilis, quæ non permittit quem partim testatum, partim intestatum decedere. Excipitur tamen miles, qui potest substituere impuberi tantum quoad bona, quæ à se ad impuberem pervenerunt idque ex privilegio militari *L. 10. §. 5. ff. de vulg. & pup. subst.*

§. IX.

Exspirat substitutio pupillaris I. pubertate sui hæredis, sufficit tamen pupillum attigisse ultimum anni decimi quarti, si sit masculus, si vero fœmina sit anni duodecimi diem. *L. 134. de V. S. L. 5. qui test. fac. poss.* Tametsi longius tempus in substitutione pupillari, quam pubertatis comprehensum fuerit, istud tamen teandem non vitiat. *L. 7. de vulg. & pup. subst.* sed pro supervacuo habetur. *FVSAR. p. 1. d. substit. qu. 159.* scilicet si substitutio verbis purè civilibus sive directis tantum facta fuerit *L. 7. & L. 14. d. t. HAHN. ad Wesenb. b. l.* quæ tamen per appositam clausulam Codicillarem sustentatur. *L. ult. §. 1. C. d. Codicill. ibique Brunnem.* Operatur enim hæc clausula, ut post obitum filii puberis hæreditas titulo fideicommissi ad substitutum transeat. *L. 17. pr. L. 76. ad SC. Treb. C. 9. x. d. test.* Et ita respondisse JCTos Helmstadienses & Lipsienses testatur & adducit præjudicia PHILIPP. *in us. pract. J. L. 2. eccl. 64.* sed de eo dubitatur an vulgaris sub intellecta extinguatur unâ per pubertatem; & dicendum non extingui, cum non causetur ex pupillari, sed ex legis dispositione illam coarctantis non ad pubertatis annos, sed casum aditæ hæreditatis. *L. 4. b. t.* quæ donec non aditur, locus est vulgari, ut testator sine herede non moriatur. *BERGER de pup. substit. 16. 34.* Et facit in simili, quod pupillaris sub vulgari contenta non extinguatur per aditionem pupilli, sed demum per pubertatem, cum ejus ratio sit, ut pupillo sit hæres, quæ non

non cessat ante pubertatem. GOMEZ l. 1701. *resol. cap. 3. n. 30.*
MANTICA *de conj. ult. vol. lib. 5. tit. 5. n. 2.* II. Vitiatur, si
patris testamentum vel per factum posterius, vel per capitis
diminutionem infirmatur. §. 5. *J. de pupil.* Cum quippe sub-
stituto pupillaris, sequela & pars testamenti paterni dicatur.
L. 9. *de vulg.* Idem accidit, si testamentum irritum sit ex cau-
sa exhæredationis vel præteritionis. L. 8. §. *fin. ff. de inoff. test.*
III. Exspirat, si plane non sit adita hæreditas: quod de hærede
extraneo in casu filii exhæredati necessario intelligendum est.
L. 2. *de vulg.* Nam suo hærede instituto, licet se abstinente
aliud dicendum, eoquod sola sui hæredis existentia faciat ta-
bulas subsistere pupillares. Excipitur substitutio à milite fa-
cta, quæ tenet, etiam non aditâ ejus hæreditate, cum possit
miles testamentum filio facere, etiam si sibi non faciat. L. 41.
§. *fin. d. test. mil.* Item ex parte substituti evanescit, si is sit
incapax, ut puta si sit deportatus. L. un. §. 4. C. *de caduc.*
collend. L. 7. §. *de suis & legit.* Vel si repudiet hæreditatem.
IV. Finitur si tempus substitutionis pater contraxerit ad de-
cem vel octo annos & illi sint lapsi. L. 21. §. 38. §. 1. *de vulg.*
& pup. subst. Cum ad tempus concessa post tempus censeantur
negata. V. Si substitutus moriatur ante impuberem:
adeo ut nihil ad hæredem transmittat. L. 42. *in fin. de acquir. rer.*
dom. Ubi substitutio quæ nec dum competit, extra bona no-
stra esse dicitur: §. l. 81. *de acq. hæred.* Ubi mortuus non
transfert ad hæredem jus substitutionis. VI. Si moriatur im-
pubes ante patrem. l. 28. *b. r.* Ubi impubes patre vivo mor-
tuus, dicitur non reliquisse bona. Et per l. 11. *de capt. & pos-*
stim. revers. Ubi impubere mortuo in civitate, & patre cap-
tivo postea reverso dicuntur non valere tabulæ pupillares.
Ita GOVEAN. *ad d. l. 28. in fin.* CVJAC. *ib. & 15. obser. cap. 17.*
Denique VII. tollitur substitutio pupillaris, si conditio appo-
sita defecerit. l. 8. *de vulg.* Nam cum in conditionibus pri-
mum locum habeat voluntas testatoris casque regat, ut VE-
PIAN. inquit l. 19. §. *de cond. & demonstr.* consequens quoque
erit his deficientibus & deficere voluntatem. Quare si testa-
tor instituit posthumum, atque pupillariter substituit Titium,
C hâc

hâc tamen expressâ conditione: si nascatur masculus & non
fœmina natâ fœminâ evanescit substitutio.

CAP. IV.

De substitutione exemplari.

§. I.

Quemadmodum pupillarem introducere, ne impuberes,
cum sibi testamentum facere non possint, sine hære-
dibus decederent, necessum erat, *L. 4. de vulg.* Ita
etiam, cum eadem difficultas in dementia laboranti-
bus filiis interveniret; non minus necessarium videbatur re-
medium quoddam invenire, quo illis consuli posset. Et pro-
inde ab initio primo coepit princeps per privilegium conce-
dere, ut parentes liberis exemplariter substituere queant. *L.*
43. de vulg. postea verò, cum eadem de re sæpius interpella-
retur, Justinianus Imperator constitutionem novam per *L. 9.*
C. de Impub. juri communi inferere voluit, quâ omnibus pa-
rentibus liberis suis, dementiâ vel simili morbo laborantibus
substituere indulgit, atque ex jure speciali regulare fecit.
*VASQ. de success. progress. §. 17. n. 5. ZAS. in tract. subst. in mate-
ria exemplari sub n. 1. ALEX. TRENTACINQ. in tract. subst. p. 3.*
cap. 1. n. 3.

§. II.

Definitur secundum *EVRCHARD. BARDILI in Disp. d.*
subst. tb. 3. quod sit substitutio, quâ utriusque sexûs parentes
liberis suis mente captis, aut alio vitio, ob quod ipsi testari
nequeunt, laborantibus, in casum, si in tali conditione decef-
ferint, certas personas surrogant. Add. *ECKOLT ad ff. h. tb. 28.*
COVARR. in cap. Raymuntius §. 6. n. 1. extra de test. Vocatur
autem hæc substitutio exemplaris, quia introducta est ad
exemplum pupillaris. *BART. in L. ex facto n. 4. ff. de vulg. &*
pup. COVARR. in cap. Raymuntius §. 6. sub n. 1. extra de test.
VASQ. de success. progress. §. 17. n. 2.

§. III.

§. III.

Potestas substituendi exemplariter delata est parentibus utriusque sexus, tam patri quam matri, tam aviæ quam avo. *L. 9. C. de Impub.* Cum enim ex humanitate, pietate & affectione, non habitâ ratione potestatis, & contra rationem juris hæc substitutio introducta sit. *d. L. 9.* Ea verò in utriusque sexûs parentibus æqualis sit; par quoque jus statuendum erat. Quod si plures parentes, ut puta pater & mater substituerint, cujuslibet substitutionem subsistere quoad bona à quolibet substituente provenientia, communis DD. est sententia. B. ALEXAND. JASON *in L. 42. de vulg. & pup. substit.* ALEXAND. TRENTAC. *de substit.* p. 3. c. 3. n. 10. diff. VASQ. *lib. 2. d. success. progress.* tom. 2. §. IX. n. 39. GILKEN *ad d. L. 9. C.* BACHOV. *ad §. 1. J. de pup. substit.* Pro quorum sententia nimis confert, quod in patre & naturalis & civilis ratio concurrat: unde cum duplex vinculum fortius liget, quam unum; in totum potior erit substitutio patris, exclusâ substitutione matris: tum quod nemo possit substituere illi, qui in potestate alterius est, aut incidere potest; ac proinde quod pater & mater substituere possint *d. l. 9.* hoc necessario accipiendum erit, quo unus jamdum rebus humanis exemptus, atque alter tantum superest.

§. IV.

Procedit substitutio hæc in liberis utriusque sexûs, nepotibus & nepibus dementiâ aut simili vitio laborantibus, non tantum puberibus, verum etiam impuberibus. *§. 1. J. de pup.* Non modo legitimis & naturalibus simul, verum & legitimis tantum: non tamen nisi quoad solam Quartam, quam ex bonis arrogatoris ex constitutione Divi Pii consequuntur. *l. 22. §. 1. de Adopt.* quemadmodum supra de substitutione pupillari dictum est. Caterum cum *lex 9.* duntaxat mentionem faciat de mente captis, hic dubitari posset: an hæc lex quoque ad furiosum, surdum & mutum item ad prodigum extendenda sit? adeo ut his omnibus tabulæ exemplares fieri queant? & quia eadem in his versatur rationis identitas, eos quoque per generalem appellationem mente capti in lege

C 2

nostra

nostra quoque contineri necessum est. Ratio enim ob quam parentes liberis mente captis substituere possunt, in aliis quoque dictis aequo locum habet, cum & hi ad exemplum impuberis, ut & mente capti testandi facultatem non habeant, & ita post BALD. CASTR. ad d. l. 9. C. b. t. BACHOV. VINN. ad §. 3. *J. d. pup. substit.* LUDWEL. d. ult. vol. p. 307. FVSAR. qu. 185. n. 15. Diss. quoad prodigum GIPHAN. ad d. l. 9. c. b. Ubi dicit, majorem esse habendam rationem furiosi, quam prodigi, cujus vitium est voluntarium, illius non item. Add. PEREZ in C. b. t. n. 36. in fin.

§. V.

Modus substituendi idem est qui in pupillari. d. l. 9. verb. ad exemplum. Scilicet debet hæc substitutio fieri I.) per modum institutionis verbis civilibus & directis, qua ratione differt à fideicommissò. arg. L. 26. C. de inoff. test. Non enim potest furiosus gravari onere fideicommissi. L. 39. §. 3. de adm. tut. post ANT. FABER. CARPZ. p. 3. c. 8. n. 1. § 2. II.) Patrens sibi prius testamentum facere debet. III.) Pertinet ad formam ut adeatur testantis hæreditas. L. 2. §. 1. ff. de vulg. & pup. substit. &c. Differt tamen à pupillari, quod in hæc liberi ejus, cui substituitur si quos habet, deinde his non exstantibus fratres substituendi sint secundum consuetudinem Justin. in d. L. 9. vers. fin. Sin vero &c. Verùm cum nulla mentio matris in nostrâ lege fiat, quæsitum est: an pater, filio dementi substituens ejus matrem præterire possit. Quod omnino dicendum videtur: Primò quod eadem ratio, quare in pupillari testamento institutio matris necessaria non est, L. 8. §. 5. de inoff. test. militet quoque in exemplari. Secundò quod in præfatione L. 9. expressè insinuetur, tale testamentum per querelam inofficiosi labefactari haud posse. Tertiò quod in citatâ lege excipiantur duntaxat filii & fratres, exceptio autem regulam in casibus non exceptis quandocunque confirmat. TRENTACINQ. d. substit. p. 3. c. 5. n. 12. LUDWEL. d. ult. vol. p. 314. Diss. BALD. ad L. 9. C. b. t. n. 35. in fin. GOMEZ lib. 1. var. resol. c. 6. n. 7.

§. VI.

§. VI.

Substitutionis hujus effectus primò in eo consistit, quod si mente captus in ipsa amentia vel furore moriatur, ad substitutum non solum pertinent bona à patre profecta; verùm etiam alia adventicia. *arg. L. 10. ff. de vulg.* Secundus effectus est, quod non tantum tacitam pupillarem, sed et tacitam vulgarem complectatur. *arg. L. 4. de vulg.* Hinc si testator instituat filium furiosum heredem, & si in furore decedat, substituat Titium, licet filius in furore mortuus, non sit hæres patris (quæ tacita vulgaris est) nihilominus tamen succedet substitutus vi tacitæ hujus vulgaris. Tertius effectus est quod expressa exemplaris non minus matrem excludat, quam expressa pupillaris *arg. L. 9. C. de impub.*

§. VII.

Cum hæc substitutio iisdem propemodum modis exspiraret, quibus substitutio pupillaris; non erit, cur longiori sermocinationi hic immoremur; deficit itaque si furiosus vel mente captus liberos susceperit legitimos. *l. 42. de vulg. Can. dilectus filius X. de spons.* Item si testatori auferatur testandi facultas, si testamentum ejus corruat, aut si non adeatur ex eo hæreditas. *l. 43. ff. de vulg.* Præcipua verò causa est, si resipiscat. *d. l. 43.* Ne homini sanæ mentis & sui juris auferatur testandi licentia. MICH. GRASS. §. *substit. qu. 51.* VDALRIC. ZASIVS *ir. d. substit. C. 3.* Num autem substitutio quæ propter infirmitatem cessantem extincta videtur, redeunte ea reconvalescat; distinguit Bardili *in disp. d. substit. Justin.* Aut infirmitas rediit vivente patre, & non censetur extincta, eo quod substitutio à morte testatoris demum vires capiat, huncque casum minus dubitabilem dicit BACHOV. *ad Treutl. Vol. 2. disp. II. tit. 10. BARRY lib. 5. tit. 9. n. 3.* Aut rediit post mortem patris, & revera cessavit infirmitas, ac is, qui substitutum accepit, recuperatâ sanitate testamentum fecit, tunc extincta censetur substitutio. LUDWELL. *d. ult. vol. p. 315. per L. 43. pr. de vulg.* BACHOV. *ad Tr. d. l. GILKEN, ad l. 9. C. eod. n. 54. BARRY lib. 5. tit. 9. n. 3.*

CAP. V.

De substitutione militari.

§. I.

Quemadmodum testamentum militare extra communes regulas Juris civilis specialibus privilegiis valitum est *l. 1. Cod. de test. mil.* Ita etiam ejusmodi substitutio definitur: quod sit substitutio, quâ miles sibi de hærede providet in casum istum si hæres institutus, post hæreditatem aditam, aut pubertatem deceaserit. JOHANN. HARTM. KORNM. *d. substit. ib. 16.* sive juxta *Tab. d. substit. c. §. 2.* est species substitutionis singularis, quâ miles, etiamsi testamentum sibi ipsi non fecerit, filio tamen facere, eique ut & extraneo hærede instituto, etiam ultra pubertatem directo substituere potest. Dividitur quemadmodum aliæ in expressam & tacitam. Expressa est, quæ ad certum tempus facta est; ut si ad certum tempus hæres institutus est, & post illum alius. *L. 19. §. fin. & L. 41. ff. de test. mil.* Tacita, quæ sub compendiosâ continetur. *L. 8. Cod. de Impub. TOLOSAN. lib. 42. cap. 25. n. 3.*

§. II.

Quæritur hic, num si miles substituerit, ejusmodi substitutio post annum pubertatis valeat in vim substitutionis directæ, num verò in vim fideicommissariæ? *in L. 15. ff. de vulg.* videtur VLPPIANVS statuere, quod ejusmodi substitutio post pubertatem ut directæ valeat, *in L. vero 8. c. de Impub.* quod duntaxat in fideicommissum teneat. Hæque duæ leges videntur inducere antinomiam perdifficilem: quare etiam effecerunt: ut varias solutiones DD. excogitarint: quibus tamen præferenda est sententia GILKENII, qui omnia à voluntate testantis dependere statuit: proinde si miles velit substituere directo post pubertatem, quod valeat in vim directæ.

rectæ. *d. L. 15.* Hâc ratiocinatione ductus, quod in potestate militis sit ex directâ fideicommissariam. *L. 19.* & ex fideicommissaria directam facere. *L. 36. ff. de test. mil.* quodsi verò de ejus mente constet, quod voluerit tantum ut fideicommissum valere; quod in vim fideicommissi sustineatur. *d. L. 8.* Ut si forsan illud exprefferit, vel si verbis obliquis usus fuerit. Aliter explicant *MANTICA lib. 5. tit. 14. n. 4. & FACHIN. lib. 4. c. 43. &c.*

§. III.

Quinam militariter substituere possint: item quidnam ad validitatem hujus substitutionis requiratur, ea omnia mutanda sunt de testamento militari, qui enim militare testamentum condere possunt, taliter quoque substituere possunt. Quin quod ad validitatem testamenti militaris requiratur, id necessario etiam in hâc substitutione desideratur. I.) Itaque licitum est militariter substituere filiifamilias puberibus in castrensibus bonis. *arg. L. pen. C. qui test. fac. poss.* quoniam scilicet his de ejusmodi bonis testari permittitur. *L. 17. §. 1. de castr. pec.* II.) Quemadmodum miles surdus & mutus testari potest. *§. 2. J. de test. mil. L. 4. ff. eod.* Ita etiam miles, licet sit surdus & mutus, substituere poterit. III.) Sicut miles pro parte testatus & pro parte intestatus decedere. *L. 6. §. L. 38. ff. de mil. test.* Ita etiam substituendo in re certa, reliquum præsumitur voluisse relinquere hæredibus ab intestato, neque hic locum habet, ceu in tabulis paganorum *L. 1. §. 4. ff. de hæred. instit. jus accrescendi. L. 1. §. L. 2. Cod. de test. mil. L. 42. ff. de bon. libert.*

§. IV.

Substitutio militaris tam diu effectum fortitur, quam diu durat voluntas testantis militis; quod si enim aliud testamentum fecerit, atque in illo alium substituerit, non tantum prius testamentum, sed & in illo contenta substitutio corrui. Quod sane tunc demum procedere putamus,

tamus, si & expresserit, se nolle valere prius testamen-
tum. *d. L. 6. § 38. ff. de mil. test.* Nonnunquam etiam
contra voluntatem expirat ejusmodi substitutio: ut puta
post missionem, haud tamen prius, quam post integrum
annum elapsum, cum enim principale, id est testamen-
tum, post missionem adhuc per annum duret *L. 17. §. ult.*
L. 21. § 26. ff. de test. mil. Confectarium omnino est,
ut & accessorium vel sequela ejus duret, atque effectum
fortiatur. Quemadmodum autem testamentum militis
per minimam capitis diminutionem (ut si miles se arro-
gandum dedit) ante arrogationem confectum non irritatur.
§. 5. J. de test. mil. Ita etiam non irritatur ejus sub-
stitutio.

CAP. VI.

*De substitutione reciproca, seu brevi-
loqua & compendiosa.*

§. I.

Substitutio reciproca seu breviloqua definitur secundum
PAVL. LEONT. *in tract. substit. in mater. recipr. substit.*
quod sit substitutio pluribus institutis invicem facta,
sub se plures substitutiones apta continere, secun-
dum qualitatem eorum, quibus fit. Dicitur breviloqua,
quia brevibus verbis fit. RAYNVNT. *p. 2. tit. de brevil. substit.*
sub n. 3. extra de test. Reciproca verò dicitur, quasi repe-
tita, quia de uno in alium repetitur. BART. (post HVG.)
in L. Lucius. n. 3.

§. II.

Dividitur in expressam & tacitam. Expressa est, qua
fit, si testator duobus vel pluribus, verbis claris & expressis
substi-

substituit. Fit verbis generalibus, ut Titius & Cajus, uterque eorum vivet, hæres mihi esto. *L. 24. de hered. instit.* Vel Titius & Cajus invicem substituti hæredes estote. *L. 37. §. 1. d. tit.* Alia est formula, quæ fit verbis specialibus, quæ propria & frequentior est: ut Titium & Cajum hæredes instituo, eosque invicem substituo. *L. 36. de vulg.* Præterea fit & verbis singularibus vel individuis: ut Titium & Cajum instituo, & Titio substituo Cajum, & Cajo Titium. *L. 4. in fin. de vulg.* Adferunt quoque substitutionis reciprocæ fideicommissariæ formulam: ut quicumque hæredum meorum defecerit sine liberis, alteri restituar hereditatem. *L. 6. C. ad. sct. Treb.* Tacita est, quæ virtualiter ex quibusdam verbis ipsius testatoris, seu probabilibus conjecturis deprehenditur. *arg. L. 34. de usu & usufr. legat.* Menoch. *l. 4. præsumpt. 62. n. 36. MANTIC. l. 7. tit. §. n. 6.* Unde

§. III.

Controvertitur hic, si testator pluribus institutis simpliciter prohibuerit hereditatem alienare; an videatur tacitam reciprocam introducere voluisse; nonnulli distinguunt: num filius fuerit facta prohibitio, num verò extraneis; quod si extraneis, non videatur inducta; quod si testator filiis hæredibus scriptis prohibuerit alienationem, inter eos reciproca substitutio inducta intelligatur. Sanior tamen & receptor videtur doctrina id indistinctè affirmans propter *l. 37. §. 2. de leg. 2.* Extinguitur autem hæc substitutio eodem modo quo aliæ sub illa contenta. Denique

§. IV.

Substitutio compendiosa est substitutio, quæ brevitate sermonis plures substitutiones complectitur propter plura tempora diversas. Compendiosa exinde nuncupata, quod compendio verborum plura tempora contineat, tempus scilicet pubertatis, majorennitatis, furoris, &c. differt principaliter à reciproca, quod reciproca plures substitutiones contineat respectu plurium personarum, compendiosa vero

D

respe-

respectu unius personæ. Fit verbis generalibus, specialibus, item singularibus seu individuis; verbis generalibus: si filius meus Cajus moriatur, substituo Titium, specialibus: filium meum instituo & quodocunque decesserit, substituo Sempronium; verbis singularibus: ut filium meum instituo, & si moriatur in pupillari ætate vel post, substituo Sempronium. Interdum fit cum aliâ conditione adjecta indefinito tempori: ut quodocunque sine liberis decesserit. Ut *in l. 8. Cod. de Impub.* Substitutio autem compendiosa tam diu durat, quam diu una ex his, quas complectitur, locum sibi sortitur: hinc in casu, quo continet vulgarem, pupillarem & exemplarem, extincta & pupillari & exemplari adhuc tamen validabitur vulgaris. Possent de hâc intricatissima materia hic plura adferri, sed nolui disputationis modum excedere, qua de re abrupto filium, atque huic disputationi impono

F I N E M.



AD

AD NOBILISSIMUM ATQVE CLARISSIMUM
DN. DOCTORANDVM.

IMmensi metiris iter, CLARISSIME, Ponti
Quem neque *Davistus* novit in Orbe novo,
Nec *Magellanus*, *Dracus* aut *Marcus* obivit,
Qui vel detectis nomina fecit aquis.
Non metuis rictu terrentia monstra marina?
Monstra nec *Herculeâ* percutienda manu?
Tot scopulos habet hoc mare, quot sunt sydera cœlo,
Quos celebres etiam pertimere viri,
Et tamen obscuro navem committere Ponto
Ausus, Mercator quæris avarus opes?
Immodò, sed comitem Juris tibi sume lucernam,
Cum *Baldo* dives si rediisse velis.
Gratulator, & meritos pridem Doctoris honores
Apprecor, hisque datis sponte sequentur opes.

*Hicse Nobilissimo atque Clarissimo Domino
Doctorando affectum suum specialem
contestari voluit oppugnans*

JOANNES PHILIPPVS STRAHL,
J. U. D. & Prof. Publ.

Quisquis festivos optat cumulare triumphos
Addiscat Clades accumulare priùs,
Qui sine legitimo sperat certamine lauros,
Imbellisque audet dicere: palma veni?
Hic quoque profuso sperat sine semine messes,
Hic sperat multos & sine vite botros:
Certandum libris miscendaque prælia præliis
Quæ *Themii* Juristis conglomerare soles;

IGNA-

IGNATI celfo conamine prælia mifces,
Ac inter lites vivere dulce putas;
Vincis, ne doleas Victori dèeffe triumphos,
Quos labor immenfus jure rogare potest:
MOX NEO - DOCTOREM TE in cœlis Gera creabit,
Junget & applaufus prævola fama fuos.

*Hifce Nobiliffimo ac Clariff. Domino Doctoran-
cto de feliciffimo gradu gratulari, & qua-
que faufta apprecari voluit*

P. R. W. O. S. B.

Sive novis, Phœbus radiis crifparet Eoas
Undas, ac auro pingeret arva fuo,
Sive propinquus aquis, nôfti, quas Hefpere, Titan
Fræna fatigatis arcta moveret equis
Inter fudavit Germanus bella Themiftoſ,
Donec vincenti debita laurus erat,
Sic non poeniteat tantùm fudâffe, labores
Inter juridicos debilitâffe caput,
In quod tanta ruet nova gloria, fulgor, Epomis,
Splendor, lux, radii, præmia digna polo!

*Sic fuo Germano novi honoris apicem
conſenſuro complaudit*

F. D. T. O. S. B.




ULB Halle
005 355 664

3







1733, 23 26

P. 285.3

DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA,
DE
SVBSTITVTIO-
NIBVS,

QVAM,
EX DECRETO ET AVTORITATE
MAGNIFICI ICTORVM ORDINIS
IN ALMA AC PER-ANTIQA ELECTORALI VNIVERSITATE
ERFORDIENSI,

PRO LICENTIA
SVMMOS IN VTROQVE IURE HONORES,
PRIVILEGIA DOCTORALIA RITE AC LEGITIME
CONSEQVENDI,

PVBLCO ERVDITORVM EXAMINI
IN AVDITORIO ICTORVM MAIORI
DIE XXVIII. SEPTEMBR. M DCC XXXIII.
HORIS CONSVETIS,

SVBMITTET
AVTOR
JOHANNES IGNATIVS TVRIN,
Erffurtenfis.

ERFFVRTI, Typis HERINGII, Acad. Typogr.

